# DISPUTATIONEM INAUGURALEM
DE
# SALARIO ADVOCATI IN PROPRIA CAUSA VINCENTIS,

Quam

DIVINA FAVENTE GRATIA,
RECTORE HUJUS PERANTIQVÆ UNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO,
*REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,*
DOMINO
PHILIPPO VVILHELMO,
S.R.I. COMITE de BOINEBURG,
SAC. CÆSAR. MAJ. CONSILIARIO INTIMO ET CAMERARIO,
nec non METROPOLITANARUM ECCLESIARUM MOGUNTINÆ & TREVIRENSIS CANONICO CAPITULARI SENIORE, & respective SUPREMO CHORI-EPISCOPO,
EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIARIO INTIMO,
ac CIVITATIS TERRITORIIque ERFFURTHENSIS PRO-PRINCIPE &c. &c.

*JUSSU MAGNIFICI JCTORUM ORDINIS,*
IN ACADEMIA HIERANA
PRO LICENTIA
Summos in Utroque JURE HONORES & PRIVILEGIA DOCTORALIA consequendi,
*IN AUDITORIO JURIDICO MAJORI*
horis consvetis
*publice defendet*

JOHANNES SEBASTIANUS OHEIM,
Bornâ - Misn.

D. IV. Septembr. Anno MDCCXI.

Typis JOH. HENR. GROSCH. Acad. Typogr.

I. N. J.

*B. L.*

EA est plerorumque hominum natura atque indoles, ut non solum in omnibus ferè actionibus, quid privatae sit utilitatis, sollicite observent; sed etiam, ubi deliberant, quid statuere, quidve sentire velint, hanc solam, veritatis studium parum curantes, in consilium vocent. Affirmantur saepissimè quaestiones, ut rectè conqueritur Brunneman: *in Tr. de Cess. Act. c. 2. n. 48.* nulla alia de causa quàm quia pro marsupio sunt. Quo verò longius sententia aliqua â prava hac cupiditate recedit, eò propius veritati accedere putatur. Nam si magnam laudis gloriam conseqvuntur illi, qui, dum res notatu dignas ab oblivionis injuria vindicant, non gentem ex qua oriundi, non Principum & Procerum auram, aut aliud partium studium, sed solam veritatem respiciunt; non minore meritò honore digni

judicandi illi, qui omni privato emolumento fusque deque habito unicam sequuntur veritatem. Quis igitur non crediderit illos Juris Doctores prae reliquis veritati maxime studere, qui juris perito, eidemque Advocato, in propria causa Salarium praestandum esse, negant? Nonne vel ordinis sui vel proprium negligunt commodum? Nonne hi sunt verè candidi Justitiae Sacerdotes, à quibus tantum abest, ut se illo gurgite vasto, quo multi alii immerguntur, abripi patiantur, ut potius, ceu Marpesia cautes, ad omnes impetus immoti stent atque invicti? Nonne verissime de illis praedicari poterit, quod inter laudes Q. Fabii Max. in ejus vita retulit Plutarchus, quod invictum à pecunia possederit animum? solam enim Justitiam, solam veritatem, Cynosurae ad instar, immoto oculo intueri videntur. Verùm an non viris istis summis illud, quod navigantibus saepe evenit, accidat, dum praesentes scopulos evitare student in contraria saxa ruant, hac ipsa Dissertatione disquirere, in animum induximus nostrum. Praemissa itaque brevissima terminorum expositione, rationes pro affirmativa & negativa parte militantes proponere, hasque examinare, & quantum per ingenii modulum licebit, discutere tentabimus. iis etiam haud neglectis, quae ad Praxin spectare videbuntur. Et quamvis nobis non adeo simus Suffeni, ut Judicis, pro Tibunali sedentis, officium nos gerere credamus; ipsi tamen contrasentientes fatebuntur, sententiam aliquam, nullâ lege publicâ, disertis atque perspicuis verbis decisam, ex sanae rationis Principiis deducere, & in

Cathedra

Cathedra de opinionibus, vulgo receptis, pro libertate, qua ipsi utuntur, disputare, non esse prohibitum. Ut vero id, quod nobis propositum est, prosperè succedat, Summum Numen humilime precamur.

§. I.

MEntem itaque nostram ut clarius explicemus, omnisque tum obscuritas tum ambiguitas evitetur, quid per notiones, in Rubro positas, nobis velimus, paucissimis indigitamus. Per Salarium significamus remunerationem, quae Advocato propter operas in foro praestitas, quocunque veniunt nomine, jure meritoque debetur. *l. 7. ff. Mandat. l. 9. C. d. Advocat. & a l. 7. ff. Testam. quemad. aper..* non tamen refragabimur, si quis loco *salarii* vocabulum *Honorarii* substituere malit, eâ ratione inductus, quod non solum laborum remunerandorum gravitas, & officii, quod gessit, dignitas; sed etiam ipsi textus, *l. 38. §. 1. ff. Locat. l. 1. §. 10. ff. d. Extraord. Cognit. l. 13. §. 9. C. d. Judic. l. 3. C. d. Postuland.* aliique idem svadeant. Parum insuper curamus varias hujus vocis significationes, quibus per illam vel victum unius anni, vel annuam Pensionem, quae ob liberalem artem praestatur, vel annuos fundi cujusdam proventus, vel etiam annonam & stipendia militum, in jure passim indigitari, DD. observarunt, horum, si accuratiorem notitiam quis habere velit, Lexicographos, & ex his, Hieronymum Verrutium, Barnabam Brissonium, Simonem Schradium, Jacobum Spigelium, Joh. Calvinum, evolvere non gravabitur. Multo minus litem, an Salarium â Sale, an â Solo originem ducat, nostram facimus, sed illam Grammaticis dirimendam relinquimus. Advocatus, cujus in eadem rubrica mentionem facimus, nobis est Persona, quae desiderium vel suum, vel alterius in jure apud eum, qui Jurisdictioni praeest, exponit, vel alterius desiderio contradicit.

*l. 1. §. 2. ff. de Postul.* Stryk. *in Usu Mod. ad h. t. §. 1.* Hac verò honorifica appellatione illos neutiquam dignos censemus, quos Mantuanus Poëta, salse satis, his verbis perstringit:

*Stultorum est aliud genus immedicabile quoddam*
*Causidici, latratores, rabulaeque forenses,*
*Nummorum aucupium docti legumqve tyranni,*
*Ære Patrocinium vendunt, producere causas*
*Et lites pendere diu vindemia qvaedam est.*

Aut quos Casp. Ziglerus *in Tr. de Rabulistica, seu de artibus Rabulariis*, ad vivum depingit. Derivationem & variam Acceptionem vocis Advocati prolixè affert, sicque nobis otium facit Petr. Müller: *ad Struv. Tit. d. Postul.* §. 2. 3. (α) seqq. in cujus Tituli frontispicio magnam Autorum nubem, qui de Advocatis eorum dignitate, officiis, aliisque ad hoc negotium pertinentibus, sunt commentati, citat. Reliqua tituli nostri vocabula explicare, quidve per ea intelligamus exponere, supervacaneum esse credimus, cum ea, quae per se nota & clara sunt, ulterius declarare qui studet, soli lumen accendere videatur.

## §. II.

Quibus ea, quâ fieri potuit, brevitate praemissis, Methodi atque ordinis rationem habentes, statum praesentis Controversiae ita formamus: Utrum Advocatus cum alio in foro litigare coactus, si Adversarius causâ ita ceciderit, ut in Restitutionem Expensarum per sententiam condemnatus fuerat, Salarium aliquod, ob operas, quas durante Processu saepius subire necessum habuit, â victo petere cum effectu possit, quaeritur? Nos in praesenti Dissertatione affirmativam defendere velle mirabuntur omnes, qui observantiam fori haereditario quasi quodam jure â Majoribus ad Posteros delatam, inter res sanctas & inviolabiles reponunt, quique, Autoritate & numero Doctorum non pugnare velle, audaciam imò piaculum judicant. Ast sint nobis Viri isti Graves in aeternum venerabiles, magis tamen aequi-

aequitatem nobis amicam atque venerabilem aestimandam esse, ipsi praecipient.

## §. III.

Humanam imbecillitatem optimis Legislatoribus impedimento fuisse, quo minus tales leges ferrent, quae ad decidendos omnes casus, horumque infinita varietate in se met ipsas, nodi instar Gordii, implicitas circumstantias explicandas sufficerent; extra dubitationem positum esse arbitramur. *l. 12. ff. d. LL.* Viderunt ea propter Justissimi rerum humanarum Arbitri necessitatem quandam sibi imponi, doctrinam de Legum interpretatione adornare, in qua non tam verba legum, quam vis atque potestas earum spectanda esset. *l. 17. ff. d. LL. vid. Consultiss. Gottfr. Langii Dissertat. inaugural. de eo, quod observandum est, circa interpretationem Legum, in celeberrima hac Academia Ao. 1702. habitam.* In qua verò, si quis feliciter progredi velit, aequitatem naturalem, defixis in eam oculis, contemplari debet. Commendatur eadem Jurium cultori adeo ab Imperatore, ut licet in omni re, praeprimis tamen in jure spectanda dicatur. *l. 90. ff. d. R. I. vid. Dionys. Gothofr. in notis ad h. l. & j. l. 8. C. d. Judic. l. 57. C. d. Episc. l. 13. ff. d. Test.* Est illa Ars boni & aequi refertissimum aerarium, ex quo rationes ad decidendas speciales controversias depromuntur. *l. 32. ff. d. R. C. l. 2. §. 5. ff. d. aqu. & aqvae pluv. arc.* v. *Finckelth. Obser. Pract. c. 1. n. 12. p. 7. Mynsing. Cent. 2. c. O. 10. n. 12.* Collegit harum singularum fori causarum, ex aequitate dijudicandarum, magnum numerum Jul. Caes. Calvinus *in libro, qvem de aequitate inscripsit.* AEquitatis autem regulas, juris Naturalis, quod perpetuum Legis Civilis supplementum dicitur Puffendorfio *L. I. C. IV. §. 15. p. 107. d. J. N. & G.* Principiis unicè inniti, quis est qui dubitet? Sufficit igitur opinionem aliquam per Legum Civilium sanctiones, affirmationis vel negationis limitibus non inclusam, ex naturae Praeceptis demonstrasse. Qva de causa, cum nulla lex Positiva, inter eas, quae hodie vigent, inveniri possit, quae vel secundum literam vel

etiam

etiam legitimam consequentiam vetet, Advocatum Solarium in propria causa â parte victa poscere, in tuenda sententia affirmativa impune argumentis, ex naturalibus principiis tantum petitis, pugnare possemus. Ne tamen omni legum Autoritate destitui videamur, nobisque sine lege loquentibus sit erubescendum, secundum usitatissimum illud *Nov. 18. c. 5.* (cujus quidem probandi vim, prout vulgo citatur, Consultissimus Vitenbergensium JCtus Georg: Beyerus in Volckm: emendato *p. I. p. 6. n. 9.* in dubium vocare ausus est.) Probationes etiam ex legibus, earumque argumentis petitas, nisi clariores, certe aeque ac quas contrasentientes in medium producunt, claras, quaerere tentabimus.

## §. IV.

Antequam autem hoc fiat, venia nobis â B. L. exoranda erit, ne in sinistram interpretetur partem, si altius paululum ex Veterum Monumentis repetamus ea, quae ad Salaria Advocatorum spectare videntur, quaeque aliquid luminis nostris conatibus afferre possunt. Multum utique facit antiqui Juris notitia ad hodierni accuratiorem intellectum, *a. § 1. J. d. Test. Ordin.* cujus utriusque conjunctionem inter laudes Titii Aristonis non postremas ponit Plinius *L. 1. Epist. 22.* Certissimum enim est, mutato licet Reipublicae statu, mutatisque judicandi principiis, saepe tamen aut conclusiones ex his deducendas, aut saltim aliquod earum simulacrum, ad posteros propagatum fuisse. Hoc observantibus Lex Cincia & praeprimis hujus caput primum, nobis commemorandum venit, quod hujus tenoris: NE. QVIS. OB. CAUSAM. ORANDAM. DONUM. MUNUSVE. CAPIAT. Nomen haec lex, ut multae aliae, ab Autore M. Cincio Tribuno Plebis sortita est. Aõ. U. C. 549. Sempronio Tuditano & Cornelio Cethego Consf: in hanc Paulum JCtum peculiarem commentarium conscripsisse ex Rubrica *l. 29. ff. d. LL.* edocemur, qui tamen, quantum nos novimus, ad nostrum aevum injuria temporum non pervenit. In hujus locum felicissimè successit

cessit Friderici Brummeri, Doctissimi Viri, Tractatus in L. Cinciam, qui diligentissimè omnia ex Autoribus collegit, quae ad hoc argumentum pertinuere, acuteque de iis judicavit. Severae autem hujus legis causa ex primis Regni Romani incunabulis originem ducit. Romulus conditâ Urbe plebem â Patribus discrevit, & ut mutuo favore conjungeret animos, non solum svavem compellationem Clientum & Patronorum excogitavit; v. *Gravin. d. Ortu & progr. J. C. p. 1. 2.* sed etiam Plebejis potestatem reliquit, sibi Patronum ex Patribus eligendi quemcunque vellent, horum officium erat Clientes in fidem susceptos judicio defendere & juris legumque scientiam docere, sed propter id nihil mercedis recipere. Plebejis contra praeceperat Romulus, fortissimum, sine dubio, hoc vinculum ad conservandam societatem ratus, ut Patronis obsequia praestarent, opes etiam suas, si necessitas exigeret, commodarent. *vid. Plutarch. in vita Romuli. Dionys. Halicarnas. L. II. Antiqv. Roman.* Hoc quod ordinaverat Imperii Romani Conditor, tam altas egerat in animis radices, ut successu temporis, optimi atque dicendi arte peritissimi Viri è Patritiis & Senatoribus extiterint, qui laudis tantum gloria incitati, causas civium orarent, & ad se fugientium patrocinia, veterum Patronorum ad exemplum, gratis in se susciperent. Hi erant isti, ut *Cicero L. 2. offic. loqvitur*, patrii mores, qui hucusque ut plurimùm obtinuerant. Sed cum indies in pejus vergerent istorum Patronorum mores, ut vel tectè, speciosum aliquem titulum mentientes, munera â Clientibus poscerent, vel etiam palàm ea, quae antea Plebeji sponte in grati animi tesseram obtulerant, jure & grandiore summa exigerent, ita ut plebs, *dicente Livio L. 36. c. 4.* vectigalis & stipendiaria Senatui esse coepisset, huic malo per Plebiscitum, M. Cincio Tribuno Plebis, obviam eundum putabant, legemque laudatam in Tributis Comitiis svasu Q. Fabii Maximi, ne quis ob causam orandam donum munusvé caperet, constituebant.

 §. V.

§. V.

Variis post haec mutationibus legem nostram Cinciam hinc & inde subjectam fuisse, ex coëvis illorum temporum monumentis edocemur. Augustus equidem, postquam contrariis moribus sensim sensimque abrogata erat, eam iterum revocavit, & ex imperfecta (deerat enim Sanctio *vid. Ulpian. fragment Tit. I.*) perfectam per quadrupli poenam effecit, ut si Oratores pecuniam pro causis orandis acciperent, eam quadruplo redderent. Qvi tamen rigor legis diuturnus non fuit. Claudius enim, teste Tacito, Legis Cinciae temperamentum constituit, permisitque pro causa oranda pecuniam usque ad dena Sestertia accipere. Sat amplum sane Patrocinii honorarium! & secundum computationem Budaei *L. 5. d. Asse* & Gronovii *de Sestertiis c. 15.* nostrae monetae ducentos quinquaginta aureos Rhenanos comprehendens. Neque tamen & hoc legis temperamentum ad sera usque tempera duravit, dum Neroni illud abrogare & novo SCto legem Cinciam revocare placuit. Trajanus contra Claudii constitutionem renovavit, imò jam ante ipsum vel tacitò consensu, vel expressa constitutione, Oratorum in foro operae venales esse coeperant. Viderunt scilicet Imperatores, crescente indies causarum numero, se vix ac ne vix quidem impedire posse, quo minus causarum Patroni infinitis fraudibus & technis rigori Legis Cinciae imponerent, illique tecte variis modis illuderent, quare vel permittebant, vel constituebant, Advocatos Salarium ad certum usque Quantitatem exigere. Ipse Cicero licet saepe de se praedicet, quod gratis Clientum suorum causas oraverit, magno etiam fervore in violatores legis Cinciae invehatur, utque revocetur, graviter urgeat; attamen â multis, quibus amicorum & Clientum haereditates, & praeprimis mutuum, quod â P. Sylla, conjurationis reo, accepit, multum suspicionis excitarunt, Legis nominatae Transgressor notatur. Et Petronius Arbiter satis acute calamum in oratores sui temporis, quo tamen Autoritas Legis Cinciae stare debebat, stringit. *p. m. 29.*

*Qvid*

*Qvid faciant leges, ubi sola pecunia regnat,*
*Aut ubi paupertas vincere nulla potest.*
*Ipsi qvi Cynica traducunt tempora coenâ,*
*Nonnunqvam nummis vendere verba solent.*
*Ergo judicium nihil est nisi publica merces,*
*Atqve Eqves in causa qvi sedet empta probat.*

De his uberius dicentem vid. Brum. *l. c. C. VIII. IX. add. Petr. Ærod. ad ff. Tit. d. Postul.*

§. VI.

Temporibus his posterioribus, longe aliud de Advocatis constitutum fuit. Olim causas orare, Senatorum aliorumque virorum dignitatibus publicis ornatorum, erat officium. Nullus horum certus ordo. Nunc autem prohibebatur lege, ne quis eodem tempore Advocati & Assessoris munere fungeretur. *l. ult. C. d. Adsessor.* Dividebantur nunc Advocati in Statutos & Supernumerarios: Statuti dicebantur: quorum certus erat numerus, certa matricula, certum forum, quo nunquam egrediebantur. *l. 13. l. 8. l. 11. l. 7. l. 3. C. d. Advocat. I.* Supernumerarii erant, qui extra illum numerum, nullo certo foro addicti, ubique agere poterant & in statutorum demortuorum locum succedebant. *l. 13. C. d. Advoc.* Illis non Salaria tantum amplissima porrigebantur, praeprimis quibus Fisci patrocinium erat concreditum *l. 7. §. 4. C. d. Advocat. 2.*; sed & Strena dabatur. *l. 4. §. 1. C. eod.* His, Supernumerariis scilicet, cum illis ea Salaria erant communia, quae non â Principe, sed â Clientibus solvebantur. *l. 6. §. 5. C. de Postuland.* alia adhuc species Advocatorum nominatur, qui Honorati dicuntur. Ornabantur hoc titulo, qui Magistratu functi, ad pristinum Advocationis munus se recipere solebant, & quibus permittebatur quidem causas orare, *sed non ad turpe compendium,* (ut loquitur lex citata) *stipemque deformem haec arripienda erat occasio, sed laudis per eam quaerenda augmenta, nam si lucro pecuniâque capiantur, veluti abjecti inter vilissimos numerabuntur.* Satis fortassis bonorum ad vitam sustentandum

ex gestis honoribus adepti erant, ita ut Patrocinia, sola laudis gloria contenti, gratis suscipere facile possent. Quamvis inficias ire nolimus, facile adhuc arcanas hujus compellationis causas latere potuisse, quas pallio honoris tegere, Imperator prudentiae duxerit. Praeter hos, nemini patrocinandi onus impositum fuisse scimus. Hodierna verò aetate, Advocatorum numerus & ordo â consvetudine, vel legibus judiciorum, quas observari vult Summus Imperans, dependet, Judexque in determinandis honorariis ex aequitate secundum causae laborumque qualitatem judicare solet. Brunem. *ad l. 7. C. d. Postul. n. 5.* Berlich. *P. I. C. 9. n. 71.* Rivin. *in Enunc. T. III. En. 13. p. 70.*

## §. VII.

Ex hactenus dictis unusquisque satis, ni fallimur, intelliget, Advocatorum honoraria, pro diversitate temporum, diversaque Reipublicae facie, diversissima fuisse. Et licet priscis seculis causae gratis orandae essent, videmus tamen, hoc Viros Amplissimos muneribus & bonis ornatissimos, peragere debuisse. Adducenda autem nobis fuerunt ea, hanc potissimum ob causam, ut demonstraremus, neminem de Salariis Advocatorum hodie recte judicare posse, nisi qui ad nostram imprimis aetatem, nostrique fori qualitatem respiciat. Qvemadmodum enim creberrimarum mutationum circa hanc materiam causas facile subodorari poterit omnis, qui rationem, ut vocant, status istorum Seculorum perpenderit; ita etiam nostrum aevum, nostrique fori facies alias leges requirere, nemo dubitabit.

## §. VIII.

Sed redeundum nobis est ad propositum, telaque, quam exorsi sumus pertexenda. Salarium hodiè Advocatis deberi nemo dubitat. Quo posito, ad probationem, quod & illud in propria causa Victori debeatur, pergimus. Argumentum ex Descriptione Advocati desumimus, quam §. statim I. & quidem non nostris, sed ipsius

Ulpiani

Ulpiani verbis, ex *l. 1. §. 2. ff. de Postul.* adduximus. Dicitur ibi Advocatus, qui nonsolùm alterius desiderium, sed etiam suum (quod illi in textu praeponitur) apud eum, qui Jurisdictioni praeest, exponit, vel alterius desiderio contradicit. Cum autem idem Ulpianus *l. 1. §. 10. ff. de Extraord. Cognit.* honorarium Advocatis tribuat, illudque ad centum usque aureos extendant; non possumus non subsumere, JCtum hunc, eo ipso Salarium etiam in propria causa Advocato promittere. Aut enim hoc asserere aut Descriptionem, Lege citat. suppeditatam, mutare tenetur, sed cum nuspiam legamus vel ipsum eam mutasse, vel postea eam Autoritate publica mutatam fuisse, recte & nos eam retinemus. Praeterea esse & illum Advocatum, qui pro se ipso postulat, & illi, qui nostrae contradicunt sententiae, haud dubiè affirmant, affirmant etiam deberi Advocato Salarium; quomodo ergo negabunt deberi Advocato Salarium in propria causa victoriam reportanti, nisi praemissas concedere, conclusionem vero non admittere, aut Advocatum non Advocatum fingere velint? Rectissimè ex generalibus Ulpiani verbis, quo omni Advocato Salarium tribuit, inferimus, de Advocato quoque, qui propriam causam dixit, ea esse explicanda. Malè limitatur, malè distingvitur, lege non limitante vel distingvente. Nihil de lite vel propria, vel aliena disquirit Legislator, hinc & nos generali asserto speciale inesse putamus *l. 147. ff. d. R. J. & a. l. 1. §. 3. ff. de Alcat.* Praevidit quasi Ulpianus contrasentientium turbam, quare expressis verbis, in saepè allegata Postulantis Descriptione mentem suam exponit, se nimirum, si Advocatum nominaverit, & illum intelligere, qui pro se ipso verba facit.

## §. IX.

Videmur autem nobis è longinquo audire Objectionem, quâ contra naturam rei dicitur esse, si quis tam generaliter Ulpiani verba, quibus Causarum Patronis honorarium promittitur, intelligere velit, quasi simul ad illas causas respexerit in quibus Advocatus pro seipso postulat.

 Nemi-

Neminem enim tunc reperiri, â quo Salarium exigere possit, & si poscere velit, à se ipso ut poscat, necessum habere. Quis autem, inquiunt Dissentientes, sibi aliquid debet aut solvit? Sed ad haec regerimus, nos terminos, quos vocant, habiles, praesupponere, Rubricae nostrae verba sat innuunt. Non enim de omni causa, quam Advocatus pro se ipso tractandam suscepit, loquimur, sed de tali, in qua Victor abiit, ejusque Adversarius Judicis sententia ad litis Expensas restituendas condemnatus fuit. Adest hic vero aliquis, qui Salarium solvere possit, nimirum Adversarius, qui propter suam litigandi temeritatem justissimas Victori dat poenas. Et quemadmodum Advocatus pro se in foro pugnans si succubuerit, non oleum solum & operam perdidit, sed etiam adversae parti, Advocationis Salarium inter Expensas litis solvere tenetur; ita contra victoriam reportans Advocatus, laborum praemium ab Adversario justissimè accipit.

## §. X.

Ad confirmandam ulterius sententiam nostram, omnes illas leges multum facere putamus, quae Victum Victori Expensas litis restituere jubent. Quamvis enim quis contra hoc nostrum assertum excipere velit, operas, quas sibi Advocatus praestat, neutiquam in censum Expensarum venire posse, cum Expensas fieri dici non possit, ubi plane nihil bonorum erogatum; si tamen accuratius pensites, quod Advocatus pro se ipso postulans, tempus insumere necessum habeat, & quod operae, quas erogavit, aeque ut aliae res aestimationem recipiant, dum in *§. 2. J. d. Societ.* expresse asseritur, operas saepe pro pecunia valere. *j. l. 5. §. 1. ff. pro Soc. & l. 29. pr. eod. vid. Titius ad Lauterb. Tit. d. Postul. Obs. 80.*, mitius fortassis judicabis & si non proprie impropriè saltim Expensas factas, tibi persvaderi sines, praeprimis cum observaveris, hodiernâ fori consvetudine non parum â veteri legum rigore circa computationem Expensarum esse deflexum. Restitutionem autem,

quam

quam nominavimus, â victo fieri debere, sequentes textus clarissime volunt: *J. pr.* & *§. I. d. poenâ temerè lit. l. 79. ff. d. Judiciis l. 13. §. 6. C. eod. c. 5. X. d. Dolo & Contum. Constitut. Elect. 31. P. I. & Ord. Proc. Sax. Tit. 36. §.* Zum dritten.

## §. XI.

Ne autem gratis, id, quod praecedente §. asseruimus, â nobis dictum videatur, nostrum nunc erit probare, citatas leges etiam de dando salario Advocato, in propria causa agenti, cum de relinquis Expensis nullum intercedat dubium, intelligendas esse, atque interpretationem Extensivam, vel si huic virtualiter talem seu Comprehensivam, cum Consultiss. Lipsiensium Antecessore Menckenio *in Tractat. Synops. ff. Tit. d. Justit. & Jur.* subdistingvere velis, hoc in passu locum obtinere. Placet autem haec interpretatio haud dubiè Doctoribus in omni illo casu, ubi ratio generalior est verbis. Eandem enim juris dispositionem esse ajunt, ubi eadem legis ratio obtinet. *l. 32. ff. ad L. Aquil.* & unum idemque esse, an verbis legis, an ejus sententiâ quid contineatur. *l. 6. §. 1. ff. d. V. S. Struv. Ex. 1. th. 48. Schoepf. Synops. p. 3. n. 11. 12.* Applicemus igitur decantatissimum hoc Doctorum Axioma ad praesens negotium & videbimus statim legum allegatarum rationem longe verbis earum esse generaliorem. Verba legum vincenti jus tribuunt, ut â victo, seu temerè litigante Expensas in litem factas, inter quas etiam Salarium Advocatorum nominant, jure repetere possit, non facta tamen speciali mentione illius casus, ubi vincens ipse sit Advocatus, qui negotia in Judiciis peragenda pro se ipso expediverit. Nunc si videamus etiam rationem harum legum, allegati textus, tam Juris Romani, quàm Saxonici & imprimis citata Constitutio Elect. & Ordinatio Processf. sequentem fuisse, clarissimè tradunt: Ut nimirum temerè litigantium pessima litigandi cupiditas reprimatur, justaque de illis hoc ipso poena sumatur. Sapientissime scilicet Serenissimus Legislator perspexit, rixosos quorundam hominum animos eò

maximè

maximè ad jurgia & altercationes invitari, quia, licet causâ caderent, eos tamen secundum usitatum tunc judicandi morem, non facile in Expensas condemnari, vel si condemnentur, illas Judicis moderatione ad exiguam ut plurimùm summam reduci. Et fuit sanae magnae difficultatis opus aliquid Expensarum eâ aetate ab Adversario recuperare. Consvetudo enim secundum allegat. *Constit. 31.* invaluerat, ut Extrajudicialium nulla plane ratio haberetur, & si Judiciales Expensas Victor petere vellet, ita petere debebat, ut de iis se juraturum polliceretur, aestimatis deinde iis, quas scripto comprehensas Judici exhibuisset, jurandum insuper ipsi fuit, se ad minimum tantum, quantum â Judice aestimatum, impendisse. Qvare cum multi, hujus rei causâ jurare, Religioni sibi ducerent, factum est, ut â Restitutione Expensarum victi plane immunes manerent, & ideo ad novas lites sponte, vexandi tantum animo, progrederentur. Huic perniciosissimo malo, ut medelam afferret Serenissimus Elector, saluberrimam sanxit legem, quâ Judicibus injunctum fuit, ut imposterum judicarent: â temere litigante Victori Expensas restituendas esse & judiciales & Extrajudiciales, quo altercandi libido restringveretur & temeritas puniretur. Haec igitur ratio, cum ita generalis sit, ut etiam ad nostrum casum, si Advocatus pro se ipso dixerit, applicari possit, imo, tacentibus omnibus interpretibus, se ipsam applicet, non videmus, quare non eadem legis dispositio locum invenire debeat. Cur temere litigans, qui Adversarium Advocatum nactus est, melioris quaesumus, sit conditionis, quam tum fuisset, si cum imperito jurium egisset. Eane propter, â justissima, quam promeritus est poena, immunis erit, quia Justitiae Defensorem violavit? Absit, ut hoc modo intentionem optimam Serenissimi Legislatoris, quâ effraenatam quorundam licentiam legibus alligavit, inverti, fraenaque maslitiae laxari, patiantur Legum Custodes, ut potius eas sartas tectasque, quâ possunt diligentia, servent. Multae adhuc, licet Advocato Salarium in propria causa adjudicetur,

rema-

'emanent limitationes, quibus Regula, quod victus, Victo-
i Expensas restituere debeat, intra angustos satis cancel-
os coarctatur, ita ut plerumque compensentur, vel eas
:xigere sit difficillimum. Qvanquam non inficiandum
summos Viros, qui nostris temporibus jus reddunt, magis
nagisque in id anniti, ut omnia ad aequitatis normam ac-
:uratissimè revocentur, non solam consvetudinem, solaque
Majorum placita respicientes. Qvorsum non immeritò re-
erimus, quod hodie Actor per Juramentum Calumniae â
Restitutione Expensarum non liberetur, qvia non sola liti-
gandi temeritas, quam quidem per Juramentum purgavit,
ıt vult Carpz. *P. I. C. 31. D. 30.* sed etiam Justitia causae con-
ideranda vid. JCtos summos *Rivin. in Enunc. Tit. 33. En. XI.*
*. 1163. & Berger. in Elect. ad Procef. Execut. p. 388. & ad Procesf.*
*Ordin. Tit. 36. O. 2. p. 1014.* Qvod ipsum ad adstruendam
ıostram sententiam, novum, idque non leve, nobis sub-
ministrat argumentum, cum nimirum nulla in contrarium
ıfferri possit ratio, quae prohibeat, quo minus Advocatus,
ıon aeque ut alius, fructus, quos ex Justitia causae spera-
'it, reportare debeat.

## §. XII.

Sed non juvat plura ex legum positivarum Codicibus
quaerere argumenta. Tum quod ea, quae adduximus
ufficere posse putamus, tum maximè, quod plures adhuc
uperesse causas videamus, quas naturalis aequitas suppe-
litat. Sapienter Joh. Petrus Surdus *de Aliment. Tit. I. qv. 45.*
*ı. 58.* judicat, infirmitatem intellectus esse, ubi est ratio
ıaturalis, legem quaerere. Temporis jacturam esse gra-
visssimam omnes cum Seneca, qui temporis aequi sunt
aestimatores, affirmabunt. Multis divina Providentia ae-
:atem in Patrimonii atquue Sortis vicem dedit, & si parce
frugaliterque locatur & prudenter dispensatur, tam uberes
profert fructus, ut cum fertilitate foecundissimi praedii cer-
:et, illamque longè post se relinquat. Exaequat illa, imò
superat, multorum millium aureorum sortem, & usuras,

C plus

plus quam centesimas, sine omni usurariae pravitatis labe, porrigit. Pro furioso leges eum reputant, qui neque tempus, neque finem expensarum habet, sed bona sua dilacerando & dissipando profundit, eique ideo Curatorem bonorum dare solent *l. 1. pr. ff. d. Curat.* Et foret sane temporis Prodigo Curator magis necessarius, quam illi, qui opes male collocat, recuperari enim hae possunt, tempus, si abierit, nunquam redit. Hoc pretiosissimum, & irrevocabile tempus ut perdat, quis sine summa iniquitate ab Advocato poscet? poscit autem, qui Salarium in compensationem horarum, certe non paucarum, petere posse negat. Dices: Otiosus fortassis tunc temporis fuisset, Vacunae litasset, sed unde probabis? Sapienti praeprimis Literato, semper quod agat superest, & quiescens laborat, meditatur disponit ruminatur, nec in otio otiosus, imo cum Scipione Africano nunquam minus otiosus, quam cum est otiosus. Omnis tam diu praesumitur bonus, donec Contrarium probatum fuerit, & nullus Eruditorum ab omni negotio vacare, unquam putatur. Quis sanae mentis Advocati libertatem adeo coarctandam judicaret, ut petulanti Adversario negotiorum temporisque rationes reddere debeat? Et quid dicendum, si quis tot vexetur litibus, ut, si omnibus ipse superesse velit, nihil aliud peragere possit? Ponamus: nonneminis lites ad numerum triginta duarum excrevisse. Et licet inauditum dictu videatur, verum tamen est, quod dicimus. Cuidam nobili, ut ipsi novimus, triginta duo Processus cum suis subditis intercesserunt, ubi partim Actoris partim Rei vices sustinuit, nec ab aliis etiam, praeter hos, ipsum liberum fuisse credimus. Si infortunatissimus hicce mortalium, causas has ipse agere voluisset, tutiusque putasset, propriis magis, quam alienis oculis videre, quantum ipsi remansisse putas temporis ad alia negotia expedienda? fatendum certe tibi est, aut nihil, aut parum. Sin autem Salarium huic denegas, nonne omne tempus frustra locare cogis? aut, num aequum judicabis huic compensationem jacturae temporis per Salarium aliquod non constitui? sed quod

quod huic aeqvum eſt cur alteri, qui minus propriis litibus diſtrahitur, iniqvum videatur? Ratio enim compenſandi temporis non in eo verſatur, quia multis litibus affligitur, ſed quia horas impendit rebus, quibus nullas erat inſumturus, ſi alter ſuâ improbitate non coëgiſſet. Quod ergo juſtum eſt in diuturnis temporum tractibus, illud etiam in brevioribus, pro ſuo modo, erit.

§. XIII.

Qvod de temporis jactura aſſeruimus, idem etiam de laborum impendio affirmare tuto poterimus, quorum ſi unum cum altero conjungatur, non leve robur ſententiae noſtrae accedet. Qvantae curae, quantique labores, Advocati munere fungentes, diſtineant, illi optimae norunt, qui unquam hujus rei periculum fecerunt. Animi pariter ac corporis viribus hic opus. Libellus apte disponendus, exhibendus, Adverſarius provocandus, Exceptiones diluendae, actio probanda, teſtes producendi, documenta exhibenda, diſputandum, moleſtiae vix ac nevix quidem tolerabiles, quas mille technae Adverſarii, mille tergiverſationes creant, ſuſtinendae. En mentis occupationes! nec omnes & tales quarum unica centum novas producere valet, & de his licet unam alteramve removeas, multas tamen de novo, ut in hydra Lernaea capita, excreſcere videbis. Praeterea comparendum ſaepe, ſaepius fruſtra, huc & illuc curſitandum, quaerendum, miſſitandum, ſollicitandum, Actorum Volumina, quae ad collium prope molem aliquando excreverunt, perluſtranda. At quanti hi labores? Herculei fere, quos multus ſudor pluresque ſollicitudines comitantur, quas tamen omnes Adverſarius ſubdolus, ut in vanum cadant, calliditate ſuâ facile efficere poterit. Tantos hos labores Imperator ipſe adeo perpendit, ut eos Principalibus maxime praemiis remunerandos cenſuerit. *l. 4. C. pr. de Advocat. 2.* Sed eosdem, Advocatus in propria cauſa litigans, cum Adverſarius moroſus nulla alia ratione ad officium redigi poſſit, perferre cogitur.

Quis autem tam iniqvus rerum arbiter, qui ſat diuturnas, ſat magnas, ſatque graves operas, aequo Salario remunerandas negaret? Tantum abeſt, ut fruſtra laborare quempiam jura adſtringant, ut potiùs mercedem indivulſam laborum comitem eſſe voluerint. *Nov. 82. c. 9.* Sed laborandum Advocato fruſtra, ſi laborum, quos ex pesſima Adverſarii voluntate ſubire invitus debuit, praemium poſcere non permittitur. Optimè Valaſcus *in Deciſ. Regni Luſit.* allegante ejus verba Graevio in Concluſ. Pract. *arbitror,* inquit, *verius eſſe qvod Advocatus Victor jure petat Salarium Advocationis in lite propria, tanqvam Expenſas litis, cur enim melioris conditionis erit victus in cauſa, quae agitabatur cum homine Advocato tanqvam cum aliena Perſona? & cur Advocatus ſui laboris praemium non feret? & erit deterioris conditionis advocando in cauſa propria, qvam in aliena, ut fruſtraretur labore ſuo?*

## §. XIV.

Porrò ut ſententiae, quam elegimus, ſubcriberemus, Studiorum favor, qui omni tempore cuique optimo maximus fuit, â nobis, prope jure quodam ſuo, requirere viſus fuit. Imperator noſter, optimè de literis, ubicunque occaſio tulit, ſentiens, illas egregiis Privilegiis ornavit, de quibus vide ſis Oldendorp. *in Tr. de Jure Singulari, c. 10.* Ampla etiam ſpe praemiorum & emolumentorum juventutem ad ſtudium juris alacri ope ſuſcipiendum invitat §. *ſ. Proœm. I.* Multum huic favori opinio, â quâ diſceſſum fecimus, detrahit, in vanum ſpem praemiorum & emolumentorum cadere, efficit, Juris peritos deterioris conditionis imperitis eſſe ſinit, hisque jura magis, quam illis, favere, non obſcure tradit. O terque quaterque beatum, qui, peregrinus & hoſpes in legum notitia, opera alienâ, ſi ipſi litigandum, utitur, ſuis negotiis ſupereſt, quieſcit, feriatur, Expenſas litis & Salarium Advocati, ex Adverſarii victi bonis, aliquando recuperaturus. Sed ô infelicem contra eum, qui cauſas in foro tractare didicit, ſibique ipſi â conſiliis eſſe cupit! nihil laboribus feſſus ſo-

latii

atii multum ludibrii referet, quantùm gloriae ex victoria lucrabitur, tantum damni in honorarii dispendio patietur. Saepissimè evenit, ut pessimi Adversarii protervia Processus eo usque protrahatur, ut Expensae (inter quas honorarium, quod Advocato debetur, non minimam partem constituit) ipsam rei principalis, in judicium deductae, pretium longe superent. *v. Berg. in Elect. ad P. Exec. p. 389.* Si itaque Advocatus, qui pro se ipso oravit, nihil Salarii petere potest, nonne victoriâ plus perdit quam lucratur? Et licet quis omnem difficultatem amoveri posse credat, si alium pro se causam dicere faciat, nemo tamen invitus, ut curam causae suae alterius fidei concredat, cogitur, cum ne quidem Procuratorem dandi necessitas cuipiam injuncta sit. *l. 21. C. Mandat.* Nullibi apud nos, ut quidem apud Lusitanos Regia ordinatione, *teste Grev. l. c.* & in Sabaudia *referente Menck. in Addit. ad Struv. Jurispr. Rom. German. L. IV. tit. I.*, legibus publicis prohibitum, ne quis in propria causa patrocinium praestet.

## §. XV.

Qui limites nostrae, quam tenemus, sententiae, sint ponendi, judicare facile poterit is, qui obvenientes casus (quorum ut plurimum vana in antecessum est fictio, cùm circumstantiarum, ob nimiam earundem varietatem difficilis, imo impossibilis conjectura) ad pietatis, legum aequitatis & prudentiae normam examinare didicit. Esto v. g. Advocato cum egeno litem quandam intercedere, qui simplicitate, & persvasione Causidici cujusdam contra Jurium Peritum insurrexerit, quique injuste aliquid poposcerit, vel etiam, quod Advocato debebat eidem denegaverit, quis non approbabit, imo laudabit, si Advocatus nihil Salarii â paupere hoc, pietate ductus, exegerit, dolens potius, quod solutione reliquarum Expensarum, promeritas suae credulitatis poenas, susciperere necessum habuerit. Pari ratione, si Advocatus brevi temporis tractu, quod ipsi debebatur, ab Adversario consequutus est, Prudentiae laudem

 merebi-

merebitur, si de Salario non novam litem, & forte principali causâ molestiorem, excitat, licet stricto jure honorarium omnino petere, secundum ea quae §. 12. in fine tradidimus, possit.

## §. XVI.

Sufficiant hucusque dicta & ad declarandam & ad probandam, nostram, de praesenti Controversia mentem. Nominandi nunc isti Doctores, qui aequitate impulsi, contra vulgo receptam opinionem nobiscum sentire nulli dubitarunt. Et licet omne aetatis nostrae tempus ab Autoritatis Praejudicio valde abhorruit; attamen ne nobis solis sapere, & â recepta ut plurimum consvetudine, vana contradicendi studio, dissentire videamur, prodeant sequentes & è veteribus & hodiernis Scholis Viri Summi, qui consentientium nomine â nobis honorantur: *Valasius* in Decis. Regni Lusit. Conclus. 25. n. 21. *Bernhardus Grevius* in Conclus. Pract. Conclus. 151. Consid. I. n. 5. & 14. *Besoldus* in delibat. Juris ad Tit. de Postul. T. I. qu. 4. *Reinhardus Bachovius* ad Disputat. Hieronymi Treutleri Disp. VIII. th. 2. lit. c. ad verba: an quis pro se postulans &c. *Fabricius* ad Gailium L. 1. Obs. 151. in f. *Ilico Ummius* in Dispp. ad Processum Judiciarum Disp. 2. §. x. p. m. 67. *Henricus Zasius* in Comment. in Cod. Tit. de Fruct. & Lit. Expers lit. (e) *Gottlieb Gerhard Titius* ad Lauterbach. Tit. de Postul. Obs. 80. p. 67. *Johann Joachim Schoepferus* in Synopsi Juris Privati Rom. & forensis ad Tit. de Postul. n. 17. p. 86. Praeter hos & alios citare possemus, qui licet aperte Veterum opnionem deserere nolint, tectè tamen quasi sententiae nostrae adstipupulantur. In horum numerum ut Consultissimum Vitenbergensium Antecessorem *Henr. Bergerum* ponamus verbis ejus, quae in Elect. Discept. Forens. sec. seriem O. P. E. S. Tit. 36. p. 1014. habet, ferè adducimur.

## §. XVII.

Dissentientium contra multo numerosiorem esse turbam, imo tantam, ut omnium nomina hujus chartae angustia

gustia non caperet, non diffitemur. Ast paucorum tantum mentionem injiciemus, quia ex ex his & reliquos noscere, non erit difficile. Videantur scilicet: *Baldus* in l. f. C. Fruct. & lit. expensis: *Andreas Gailius* in Observat. Pract. L. 1. Obs. 151. n. 16. p. 266. *Joachimus Mynsingerus* Observat. Cent. 1. O. 2. p. 2. *Hieronymus Treutlerus* in Dispp. Vol. I. Disp. 8. th. 2. lit. C. *Carpzov.* P. I. C. 31. D. 13. & in Proc. Jur. Tit. 24. Art. 2. n. 15. 16. *Svendendörf.* ad Fibig: C. 2. p. 934. *Johann Phi lipp.* ad Process. E. S. Tit. 36. Consid. 2. p. 293. *Berlich.* P. I. Conclus. Pract. 4. n. 51.

§. XVIII.

Inter hos quos nominavimus, aliosque quos evolvere nobis datum fuit, solus Baldus tanti est rigoris ut l. c. sine omni restrictione dicat, Advocatum, qui in propria causa postulavit, â victo Adversario plane nihil Salarii exigere posse. Reliqui omnes mitius sentire videntur, & licet ad quaestionem hactenus ventilatam, negativè respondeant; tamen cum aliquo moderamine sua verba accipi volunt, tuncque non procedere rem putant, si Advocatus per modum damni atque interesse, aliquid petere possit, si nimirum litigio impeditus fuerit, quo minus aliis Clientibus adesse potuerit, cum officium nemini debeat esse damnosum *l. 7. ff. Testam. quemad. aper. l. 61. ff. d. Furtis.* vid. *Gail. l. c.* qua limitatione, omni iniquitatis labe sententiam suam sat purgari, sibi persvadent.

§. XIX.

Baldi sententiam quod attinet, eam confutare merito supersedemus, cum otium nobis fecerint Jason, Bartolus & alii, qui in refutando eo jam dudum vires suas impenderunt. Et cum hodie nullus, quantum quidem meminimus, reperiatur, qui ejus sententiam foveat, supervacaneum esse putamus prolixe disputare, ubi nemo contradicit. Videamus potius, quid de reliquorum opinione sentiendum. Huic calculus ideo adjiciendus videtur; quia

quasi

quasi media, & hac ratione, tutissimâ, incedunt via. Sed permittant Viri isti Summi, qui vel ex animo Gailii sententiam tenent, vel qui ab observantia fori, licet de contraria veritate non adeo dubitent, recedere periculosum putant, ut etiam ab iis secedere, sat firmis rationibus adducti, audeamus.

## §. XX.

Si quis illius, quod interest, damnorumque restitutionem, ab Adversario petere velit, horum omnium, ut Judici faciat Probationem, quia facti esse putantur *l. 24. ff. d. R. I.*, ipsum oportet. Difficillimam hanc esse probationem, non sine ratione, asserit Carpz. *P. II. C. 30. D. 8.* Eandem Difficultatem imponi sibi sentit Advocatus, qui â victo nil, nisi quod interest, & per modum damni repetere potest. Demonstrandum ipsi, se eodem tempore, quo propriam causam dixit, alterius Clientis negotia in judicio curare debuisse, vel ipsi aliud quid agendum, quod in crastinum diem differre, in evitabilis necessitas passa non fuerit. Sed nulla adest solida ratio, quae urgeat, ut Advocato gravissimum hoc probandi onus, cui facillime succumbere potest, imponamus. Labores eum sustinuisse, tempusque perdidisse, in Notorietate, ut ita loqui liceat, consistit. Judex enim ipse haec novit, Acta etiam publica loquuntur, quod autem notorium est, nulla Probatione indiget. *c. 3.* X. *de Test. cogend. Umm. ad Process. Disp. 15. §. III. n. 15.* Recta igitur ingrediamur via, atque Advocato harum operarum remunerationem, temporisque compensationem non denegemus, deseramus invias ambages, ni ab aequitatis atque veritatis tramite deflectere velimus. Damnosum verò Advocato esse, taediosâ lite ab Adversario in foro detineri, suaque multum interesse, his molestiis non vexari, vix itidem Probatione opus esse, putamus. Advocatum enim si nominamus, nuda compellatione, talem nos intelligere, significamus, qui Advocatione lucrum aliquod facere consvevit, aut minimùm talem, qui nomen libera-

liberalibus artibus bonisque literis dedit. Militat ergo pro eo praesumtio, quod non, nisi maximo detrimento, temporis jacturam facere possit. Satis autem is, ex cujus partibus praesumtio stat, probasse censetur, *Mascard. d. Probat Concl. 1222. Umm. l. c. §. XI. n. 62.* Mercatorem praeter damna & lucrum cessans poscere posse, Doctores concedunt, *l. 2. §. f. ff. de eo quod certo loco*, rationem dat Gailius *L. II. Obs. 6. n. 2.* quia Mercator praesumitur solere foenus facere. Eadem praesumtio & pro Advocato militabit, dicendumque quod soleat causas in foro orare, vel studiis operam navare. Praeterea aequissimum judicatur, nullum creditorem adstringi, ut moroso debitori probet, se si accepisset pecuniam, foenori eam locare voluisse, aut potuisse; sed sine ulla demonstratione Debitor usuras praestare tenetur, secundum Ordinat. Torgav. *Anno 1583. Tit.* **Von Wucher. §. als haben wir/** eadem aequitatis postulat, ut Advocatus ab onere probationis, ejus, quod interest, liberetur. Absit enim, ut tam misera ejus sit conditio, ut usuras temporis ab Adversario non recipiat, nisi probet, se voluisse & potuisse idem temporis monumentum pro certo pretio aliis locare, ad has angustias Advocatus non redigendus. Tacemus tandem, prolixâ Probatione litem non protrahi solum, quod tamen ne eveniat, justus Judex semper summo studio cavere debet *l. 3. C. de Fruct. & lit. Expens. l. 10. C. d. Transact.*

§. XXI.

Et videtur certè, nisi omnia nos fallunt, Amplissimum JCtorumLipsiensium Ordinem, summam hanc aequitatem, in causa D. G. B. contra D. I. F. S. coram Concilio Academico Lipsiensi ventilata, ante oculos habuisse. Nam licet antiquitùs receptam sententiam planè mutare dubitarit, eam tamen ita mitigavit, ut J. U. Doctori Salarium in propria causa petenti, sola praesumtione contentus, probationem interesse non injungeret. Cùm enim aō. 1700. M. Maji Actori inter expensas etiam Advocationis Solarium,

D licet

licet pro ſeipſo oraviſſet, adjudicaret, Reus Leutratione & Appellatione interpoſita, urgebat, quod hoc contra receptam hactenus opinionem factum fuerit, & quod eidem Reo contra eundem Actorem, qvi ex jure ceſſo M. V. G. compenſatione, in qua Advocationis Salarium ſimul computeverat, uti voluit, idem non permiſerint, contradictoria autem jura in unâ civitate, circa idem negotium, iisdem circumſtantiis, eodemque tempore non eſſe admittenda. Nihiloſecius priorem ſententiam M. Septembr. confirmavit Illuſtre Collegium, rationesque confirmatae hujus ſententiae, poſtquam Reus expetierat, ſequentes, quas apponere libet, ſuppeditavit:

Obwohl ein Advocat, wenn er in ſeiner eigenen Sache ſelbſt bedienet iſt / ſo ſchlechter Dings die Advocaten-Gebühren von ſeinen Gegen-Part nicht praetendiren kann / ſondern vielmehr vor allen Dingen beyzubringen hat / daß er über ſeiner gehabten Streit-Sache andere verabſäumen und fahren laſſen müſſen / und ihm alſo / was er darinnen Advocando verdienen können / abgegangen / daß es alſo ſcheinen möchte / wie in obiger Parthey-Sache Klägl. D. G. B. ebenfals die von ihm liquitirten Extrajudicial-Expenſen keines weges zuerkandt werden mögen / zumahl da Klägl. Advocati anführen nach / dergleichen / ſo ſein Principal D. J. F. S. ex jure ceſſo M. V. G. nach der Liquidation bey Klägl. D. B. praetendiret / und worauf er compenſiren wollen / nicht paſſiret worden / ſondern vielmehr in den Urthel aberkandt. D. a. u. d. w. allerdings ein Unterſcheid zu machen / unter denen Advocaten-Gebühren / ſo ein Advocat in ſeiner Sache / die er mit einen andern als Klägl. führet / liquidiret / und unter dem / was er / da er in ſeiner Sache ein oder ander Schreiben gefertiget / Termine abgewartet / und rechtlich verfahren / darüber verſäumet haben / und deshalben als ein Intereſſe bey Bekl. praetendiren will / ſintemahl / wenn ein Advocat in ziemlicher Praxi ſtehet / vor ihm die Vermuthung iſt / daß da er ſeiner eigenen Sache obliegen müſſen / er andern Clienten nicht allezeit in dem ihrigen bedient ſeyn können / und daher

hero

hero / was er hiervon sonst zu gewarten gehabt / fahren lassen müssen / auch ihm deswegen noch wohl einige Advocaten Gebühren / nach vorher geschehener Liquidation und billigmäßigen moderation in seiner eigenen Sache pflegen zuerkannt / das von ihm angegebene Versäumniß und Interesse aber / so er theils über seiner Sache gehabt haben / theils deshalben praetendiren will / ohne genugsame docirung und Bescheinigung ihm nicht kann zugesprochen noch Bekl. darein condemniret werden / daß also da Klägl. D. G. B. bloß seine Advocaten-Gebühren ex Actis liquidiret / solche ihm / nach geschehener ziemlichen moderation zwar zuerkandt werden können / hingegen Bekl. D. I. F. S. weil er mit den gantz unerwiesenen Verseumniß und Interesse so M. V. G. auf 59. Rthl. angegeben / und ihm cediret / compensiren wollen / damit billig abzuweisen gewesen.

## §. XXII.

Nunc etiam argumenta, quibus Dissentientes, suam Sententiam firmare laborant, accuratiùs pensitanda sunt, videndumque, an tanti sint ponderis, ut veritatis studiosum in suas partes trahere valeant. Confugiunt autem ad unum omnes, & quasi uno Spiritu concitati, ad *l. 28. ff. locat.* ad sacram tanquam anchoram, per hanc id, quod ipsis probandum, satis se probasse, firmiter persvasi. Gratulandum esset nobis, gratulandum etiam aliis, si ipsa verba quibus id efficere volunt, recitassent, vel etiam argumentum contra nos per legitimam consequentiam inde deduxissent. Non enim nobis dedecori ducimus ingenuè fateri, mentis nostrae aciem vix tantam esse, ut vim illius, quod urgent, perspicere possit. Nos tamen non solos ea oculorum hebetudine laborare, gaudemus, cum idem ferè summo JCto Titio accidisse videamus, cujus verba, quae de citatâ lege allegato loco, profert, quo minus hîc apponamus, nobis temperare non possumus. *Ex l. 28. ff. locati*, inquit, *qvam Autor* (Lauterbachius) *pro se allegat, ne quidem fidiculis adhibitis, argumentum aliqvod idoneum erui potest.* Scilicet cum

 Dissen-

Dissentientes, quia omni licet adhibitâ diligentiâ, legem, quae id, quod volunt, disertis verbis asserat, invenire non potuerint, ad argumentum allegati textus quod §. 2. hujusque periodo ultima, si recte conjecturam facimus, continetur, recurrunt. Qvaestionem ibi nobis decidere videtur Labeo: Utrum Conductuor, cui propter vitium domus, nondum finito locationis tempore, emigrandum, si apud alium gratuitam invenerit habitationem, forte meliorem priori, aliquid praeter remissionem illius partis pensionis, quam finitâ locatione solvere debuisset, â Locatore ulterius exigere possit? & negat id Labeo his verbis: *Si gratuitam habitationem* (conductor) *habuisset, proportione temporis deducendum esse.* Jam quale erit argumentum quod hinc fluit? Nonne tale: Si locator conductori, qui gratuitam invenit habitationem, praeter detractionem pensionis, quam, si ad finem permansisset, solvere debebat, nihil amplius praestare debet, sequitur, quod etiam Advocatus, qui in propria causa advocando, sibi ipsi adfuit, nullum Salarium ab Adverersario victo petere possit, Atqui verum est Prius, per allegatam legem, Ergo & Posterius. Ratio connexionis haec esse videtur, quia scilicet is, ut hoc loco conductor, qui nil erogavit, etiam ab alio nihil repetere possit. Atqui subsumunt: Advocatus dum ipse causam suam oravit, nihil erogavit, ergo etiam ab Adversario male aliquid repetit. Sed consquentiam, quam educere satagunt, reverâ inducunt, quare non potest non titubante talo incedere. Qvalis nexus inter Conductorem, qui gratuitam plane, apud alium, invenit habitationem, & inter Advocatum, qui operas graves, multumque temporis pretiosissimi, licet in propria causa, impendere necessum habuit? Dum à pari argumentum desumere student, longe lateque dissita componunt. Nullam enim paritatem inter duo subjecta intecedere, quis primo non videt intuitu? de talibus autem idem praedicare velle, valde ἄλογον est. Tum demum fortasse procederet argumentum, si alius quispiam se obtulerit, qui gratis Advocati causam agere, non dubitaverit.

Licet

Licet adhuc aliqua remaneat inaequalitas dum Conductor casu, si nimirum domus forte fortuna vitium contraxerit, ita ut habitationi amplius apta non fuerit, ad emigrationem compellatur, Advocatus vero, destinato Adversarii consilio, ad litem suscipiendam adigatur. Quid? quod, si Conductor, cui emigrandum, propriam domum, quam aliis, cariore pretio, quam ipse dedit, locare poterat, inhabitare cogitur, nihilne praeter remissionem pensionis residui temporis à Locatore recipit? putaverim, quod omnino tantum qvantum Conductor alias acceperit, non inique poscere possit. Certè praecedentia textus verba hanc damni restitutionem non obscurè requirunt. Tantum igitur abest, ut Lex allegata nobis contradicat, ut potius pro nobis aperte pugnet. Tela in nos emissa facillime remittere, & Adversarios proprio gladio jugulare possemus. Conductor enim, licet gratuitam inveniat habitationem, tamen aliquod sentit commodum, dum incommodum, solutionem scilicet pensionis residuae, evitat. Si itaque Conductori, etsi gratis habitet aliquo commodo, nempe remissione pensionis residuae, frui conceditur, id sane consequitur, quod multo magis Advocatus qui in propria causa non gratis, sed multis laboribus, victoriam obtinuit, aliquod commodum, solutione nimirum Salarii, sentire debeat. Atqui verum est Prius E. & P. Sed sententiam aequitate satis firmatam ejusmodi infirmis longeque petitis Consequentiis fulcire, quid opus? Mittimus haec in volucra nudâ veritate contenti.

§. XXIII.

Secundum argumentum Dissentientes ex *l. fin. C. de Fruct. & Litis Expens.* depromunt. Agitur in hac lege de quibusdam Personis, quae praetendunt sibi aliquod Privilegium concessum, tam super Sportulis pro conventionibus ad certam quantitatem praebendis, quam super Expensis litium vel imminuendis, vel penitus non agnoscendis. Hae Persone speciali Imperatoris voluntate etiam ab Adversariis non plus, quam ipsi propter Privilegium ero-

 gare

gare necessum habuissent, si Restitutionem Expensarum impetraverant, petere, nec fingere ac si per Privilegium solvissent, poterant. Haec interpretatio, quae Baldo etiam placuit, ad *l. cit. n. 10.* utpote textui convenientior, prae illa quam habent, Anton Perez *in Praelect. ad Cod. h. t. n. 8.* & Brunneman. *ad C. d. l. n. 1. 2. 3.* nobis arridet. Dum autem genuinum hujus legis sensum brevissimis adduximus, insimul ad argumentum, quod ex illa Contradicentes struere laborant, respondimus. Infirma scilicet, imo nulla, ut in precedente; ita etiam in hoc argumento, est consequentia, quam à jure singulari quarundam Personarum, certo aliquo Privilegio gaudentium, ducunt, & ad Advocatos omnes, male extendunt, qui aequitate generali naturali, lege positivâ, si diserte non disponente, ad minimum non contradicente, sudoris praemia poscunt. Pessimè & contra sanae rationis Principia â Singulari ad universale concluditur. Nec AEtiologia, quam Imperator, cur hanc legem dederit, statim addidit, patitur, ut Personas istas, de quibus l. c. agitur, cum Advocatis nostris conjungere illisque paria jura adscribere velimus. *Qvoniam non est ferendum* (inquit Legislator) *eos, qvi praefatas praerogativas praetendunt, aliqvid plus ab Adversariis suis qvaerere concedi, qvam ipsi ab aliis pulsati, facere patiantur.* Qvia nimirum, quaedam Personae singulari beneficio Sportulas, vel Expensas litis non solvunt ergo aeqvum Legislator putat, ut etiam, si Expensae ab Adversario victo restituendae essent, istae nihil repetere possent, sed eodem jure, quod ipsi in alios statuerent, nunc etiam uterentur. Jam autem Advocatus noster, qui propriam defendit causam, nullo privilegio, dum honorarium in praesenti casu non solvit, utitur, nec ipsi aliquod jure singulari concessum est beneficium, ut Sportulas aliasque litium Expensas solvere victus non teneatur. Illud enim ope artis, quam multo labore, & non minoribus sumtibus acqvisivit sibi ipsi praestat, quod ab alio, si jurium expers, caro pretio sibi parare debebat. Has vero aeque ut legum imperitissimus, si causa ceciderit, victori restituere tenetur,

quod

quod ipsis Dissentientibus, experientia edoctis, omnino affirmandum. Cessante ergo legis ratione, ut ejusdem dispositio cesset, oportet. Et quemadmodum justissimus Imperator, in lege â Dissentientibus contra nos allegata, sanctissimam & inviolabilem voluit aequitatem; ita non possumus satis mirari, quare non eandem, laudabili hoc exemplo concitati, contrasentientes in praesenti controversia respexerint, & potius pro sententia, quam nos defendimus, aliquod argumentum ex l. c. duxerint, non enim difficile hoc fuisse existimamus, si modo naturam contrariorum observare voluissent. Nam si Advocatis hodiernis nullum plane Privilegium quoad Expensas litis competit (dummodo casum excepris, ubi simul Procuratores fuerint, & Sportulas pro Cliente solverint, horum vero de causa Clientem coram eodem Judicio convenire debuerint, illos â solutione Sportularum immunes vult esse Berger. *l. c. Tit. VII. not. 5. p. 284.*) sed cum imperitissimis, eodem jure utuntur, aequissimum erit, ut ipsis Salarium, quod etiam solvere debuissent, petere permittatur. Addamus rationem c. l. adjectam paucis immutatis: Qvoniam non est ferendum eos, qui *nullas* praerogativas praetendunt, aliquid *minus* ab Adversariis suis quaerere concedi, quam ipsi, ab aliis pulsati, facere coguntur.

## §. XXIV.

Hi sunt isti textus, quos Contradicentes allegant & ex quibus sententiam suam se satis probasse opinantur. An iis responsionibus nostris satisfactum sit, B. L. dijudicandum relinquimus. Proponenda nunc essent etiam argumenta, quae ex AEquitatis fundamentis adduci potuissent; sed dolemus nulla ferè in Dissentientium scriptis, quae perlustrare licuit, nos invenisse; contra potius observasse, omnes non probationes solum easdem, sed etiam iisdem verbis, ac si posteriores dicenda cum prioribus communicassent, protulisse, ita ut unum Scriptorem de hac materia disserentem qui legit, omnes legisse tuto credi possit. Ne tamen

tamen aliquid omisisse videamur, quod lucem praesenti controversiae afferre possit, liberaliores simus illis, & an sententia eorum aequitati conveniat ipsi disquiramus. Non iniquum esse, operas, earumque aestimationem, in censum Expensarum referre, supra ostendimus, quare ad ea, quae ex hoc capite contra nos dici possent, aliquid regerere intermittimus, ne crambem bis coctam apponere videamur. Solidius fortassis solatium inveniunt, qui ad querelas, pietatis specie commendabiles confugiunt, & pravos multorum Causidicorum mores, ea, qua fieri potest, acerbitate accusant: Si Advocatis inquient, in propria causa honorarium ab adversa parte praestandum, rixosum hoc hominum genus de litibus excitandis die nocteque meditabitur, spem alet in rebus incertissimis certissimam, fore, ut Adversarius, vel Defensoris sui imperitiâ vel negligentiâ, ve alio casu, cui dubius litis eventus subest, succumbat, ipseque tunc pingve lucrum reportare possit. Et quamvis haec spes inter maxime fallaces sit reputanda, certissimum tamen est, homines de facultatibus suis amplius, quàm in illis est, ut plurimum sperare, justoque confidentiores, Triumphum ante victoriam canere. Qvovis ergo modo occurrendum est isti pruritui litigandi & ut Majorum curae, quas in reprimendis temere litigantium affectibus impenderunt, ad finem suum eo felicius collineent, sedulo cavendum, ne in Advocatis per adjudicationem Salarii in propria causa, magis magisqve studia litium excitentur. *l. 8. §. 4. C. de Postul.* Speciose quidem haec, sed profectò non contra nos dicuntur, Rabulas, pessimi furfuris homunciones nobis valde exosos, illosqve honorifica Advocati compellatione indignos esse, supra innuimus. Coeterum autem Doctrinam aliqvam ea propter negare, vel è Scholis eliminare velle, quia quidam ea abutuntur, quid aliud esset, quam innocentem condemnare, ignique & aqua interdicere. Quot quaesumus è saluberrimis legum placitis, si ita judicare vellemus, remanerent? sane nulla, omnia foras ejicienda forent, nihil enim tam bonum reperitur,

quod

quod non quorundam malitia in pessimos usus aliquando detorserit. Vanam quod attinet spem, quam ex Victoria quis sibi promittere possit, aequi litium aestimatores, quique supra vulgus sapere didicerunt, eam facillime abjicient, vel nunquam animo concipient, difficultatem qua litigantes in clarissimis & justissimis caussis premuntur, aliquid Expensarum recuperandi, secum reputantes. Qvinimo stoliditatis non levis notam esse judicabunt, umbrae futuri Salarii inhiare, & interim multa bonorum frusta, quae Sportularum absorbet vorago, amittere. Quicquid tandem temeritati Advocatorum litigandi detrahere sibi persvadent dissentientes, illud illorum libidini, quibus cum Advocatis res est, addere per superius deducta certum est.

## §. XXV.

Pedem ulterius promoventibus, unicum nobis remoram injicere vidètur dubium. Turpem nimirum atque honesto ingenio indignam sapere sorditiem, salarium ab alio exposcere, eo quod quis sibi ipsi profuerit. Itane abjecte sentit Advocatus, ut prodesse sibi gratis nolit, sed redhostimentum operarum, quae in proprium cesserunt commodum, ab Adversario petere? Honeste non poscuntur, quae turpiter accipiuntur. Pudeat vero Advocatum tam abjectae mentis. Sed facillimo negotio & hic removeri poterit scrupulus. Quis turpem sorditiem nominabit, aliquid praemii poscere ab eo, qui graves alicui procreavit labores? Non lubens rebus suis Advocatus superfuit, sed invitus alterius protervia, allis, quibuscunque negotiis, se subducere fuit coactus. Nihil novi hac victoriâ lucratur, illud tantum recipit, quod jure meritoque ad ipsum pertinuit. Abest ab eo omnis dedecoris macula, qui ab iniquo detentore illud, quod è patrimonio suo injuste rapuerat, repetit. Sin autem quis omne illud lucrum, quod liberalibus artibus conquiritur, inhonestum nominaret, indignumque cum veteribus Philosophis, sapienti putaret, his panem sibi quaerere, illum non

ignorare volumus, elegantissime haec quidem disputari, sed hodie longe aliud in Praxi obtinere, id quod quotidiana loquitur experientia. Paucissimi nostris temporibus cum Platone faciunt, vel facere possunt, qui *Lib. I. de Republ.* nullam artem ad ea pertinere vult, quibus homines panem sibi comparant. Omnes potius lubentissime inter antiquatas leges reponi concedunt & *l. 1. §. 4. ff. de Extraord. Cognit.* quo Philosophi Salarium petere non debent, quia hoc primum Philosophum profiteri oportet, mercenariam operam spernere. *j. l. 8. §. 4. ff. de Vacat. Mun.* & §. 5. quo indignum dicitur Professore Juris Salarium desiderare, quia res sanctisma civilis sapientia, quae pretio nummario non aestimanda. Dudum jam liberales etiam artes inter acquirendi modos sunt relatae, & qui eas profiterur, aeque ut alius, non vento vivere praesumitur. *l. 2. C. d. Alim. Pupil. praest.*

## §. XXVI.

Postquam hactenus ea, quae de Salario Advocati in propria causa Theoreticè dici potuerunt, adduximus, promissi memores, nunc ea etiam paucis subjungemus, quae pro Methodi ratione Praxis sibi reservavit. Initium faciamus ab investigatione, qua via Advocatus, cui litigandum, incedere debeat, ne incautus spe sua, quam ob causae justitiam de remunerandis per Salarium laboribus concepit, excidat. Quamvis enim de veritate sententiae nostrae satis quis convictus adeoque securus esse possit, dandum tamen est haut raro multum consvetudini, & interdum prudenter cedere melius, quam pertinaciter pugnare. Optime igitur rebus suis consulit Advocatus, qui in dubiis tutissimam eligit viam, & ut prolixae controversiae evitentur, omnem adhibet diligentiam. Dubium valde esse, bene pensitet, an judices aequitatem ex mente eorum dubiam, inveteratae pronunciandi observantiae praeferre malint, quod cum saepius negligi deprehendatur, quid

expe-

expediat, Advocato observandum. Consultissimus Bergerus loco supra citat. optimam pro Advocato dicit esse cautionem, ut in causa propria sibi alium Advocatum quaerat, cum in propriis plerumque simus coeci & affectio causae veritatem minuat. *C. 12. Caus. 3. qv. 5.* Optimè quidem haec sese habent; sed quid si Advocato non amplae sint opes, ejusque res familiares vix permittant, multas erogare sumptus, quos incerto eventu aliquando recuperaturus est? Quid si causam orandam tanti putat esse momenti, ut alterius fidei eam concredere, dubitet? Videndum ergo annon si pregnantibus de causis, cujusmodi plures obvenire possunt, ipse rerum suarum curam gerere velit, alio praeterea modo sibi prospicere possit. Communiter cautelam quidam adhibent, vel ut adhibeatur Autores existunt, ut Advocatus Positiones, quas vocant, ipse componat, & dein ab alio Advocato, ac si hic elaborasset, subscribi, sicque ex Scheda Actis ab Actuario inseri, curet. Sed veremur valde, ne cautelâ qui eâ utuntur, incauti decipiantur, in terris praeprimis Saxonicis ubi Constitutione Elect. I. P. I. severé prohibetur, ne scriptis in Judiciis res componatur, sed oretenus positiones ad Acta dictitentur, & licet interdum, imo saepissime, contra hanc Constitutionem peccetur, si tamen Adversarius urgeat, omnia quae alter congessit, ab Actis removentur. Et ponamus etiam in aliis Regionibus scriptis omnem rem confici posse; nonne, dum alium haec consignasse, cum ipse elaboraverit, quis dicit, incaute mercatur, & turpissimo mendacio cauteriatam Conscientiam reddit, antiquumque candorem, quantum in se est, foro exulare jubet? Optimum autem, quantum nos judicare valemus, Advocatus invenit remedium, prolixamquè evitat disceptationem, si ab initio statim, nisi negotii natura repugnet, pacto expresso sibi prospiciat, quo is cum quo agit, promittit, se post expensas & damna, etiam Salarium, licet alter ipse causam oret, etiam sine Judiciis sententia, solvere velle, hoc enim si fecerit, Adversarius, Exceptione,

 aliàs

alias statim obvia, se ipsum privavit, & pactum, quod ab initio fuit voluntatis nunc promissione necessitatis factum, implere, & tanquam legem contractus servare tenetur.

## §. XXVII.

Sin autem haec observare non amplius integrum, aut negotium ipsum non permittat, è re Advocati erit, ut vel statim ab initio in Libello, vel in Conclusione Causae, vel per modum Leuterationis; Salarium ab Adversario sibi per sententiam dari, curet. Cujus voti compos factus, aeque ut in alio Processu, ut sententia Executioni detur Officium Judicis implorat. De singulis sigillatim.

## §. XXVIII.

Advocatus, dum in primordio litis Judici libellum exhibet, Actionemque instituendam esse significat, in eventum victoriae poterit operarum suarum compensationem post expensas expressis verbis poscere, hocque caput petitioni, alias consvetae, in fine libelli annectere. Si v. c. Cajus Mevio Advocato centum Unciales ex Chirographo debet, eos vero, licet terminus solutionis effluxerit, solvere tam diu detrectat, usque dum â Mevio in Jus vocatur & actio contra illum intenditur. Actor libellum sequenten petitione claudit: Daß Bekl. Klägl. die libellirten 100. Rthlr. samt den interesse morae zu bezahlen/alle veruhrsachte Schäden und Unkosten zu erstatten/ auch billige Vergeltung der hierbey Klägl. zugezogenen Müh und Arbeit zu erlegen schuldig. Ultima hae formula, licet fortasse non adeo hucusque frequenter usurpata, non omni tamen destituitur emolumento, & quidem ideo eam statim libello inserere expedit, ut appareat petitionem Salarii non minus quam causam principalem in judicium esse deductam, utque omnis Reo occasio excipiendi praeripiatur, quasi Actor tarde nimis in progressu litis talia petat, quae libello non comprehenderat,

rat, cum tamen hic totius litis fundamentum existat, cui quoque sententia Definitiva superstruenda.

§. XXIX.

Quod si autem Advocatus vel casu, vel ex industria omisisset, hanc laboris sui remunerationem in libello exigere, eo, quia non solum putabat, quod inter Expensas, quas petierat, laborum remuneratio seu Salarium jam jam comprehendatur, sed quod etiam implorationem nobilis Judicis officii tantae esse efficaciae crederet, ut omne illud, quod bonum & aequum, etiam tacente Actore, ipsi sit adjudicandum, sibique aliquid superflui addere, vel hactenus non usitati petere, dedecori duxerit, videat tamen, Reum multis frustraneis laboribus se defatigare, litemque quovis modo reddere difficiliorem & prolixiorem, merito, singulis Terminis in causae Conclusione speciali, vel etiam in Conclusione generali totius Processus, inter Expensas Extrajudiciales Salarium postulat, Priori casu, si Adversarius ad protelandam litem Leutrationis, vel alio Juris beneficio, abutitur, tunc in termino Prosecutionis, postquam Meritis causae satisfecit, adque rationes Adversarii respondit ita concludit: Als bittet Klägl. nicht allein das vorige wohlgesprochene Urthel nochmahls zu confirmiren; sondern auch Bekl. in die sub ⊙ liquidirten Advocaten-Gebühren/ nach vorhergegangener leidlichen Moderation, salvis Judicialibus & aliis, zu vertheilen. Simili plane modo in Appellatione aliisque, observato tantum & applicato, prout negotii qualitas requirit, consveto stylo, procedit. Posteriori casu, repetitis, ex Probatione, si Actor sit, justis juris sui & indubitatis argumentis, & refutatis Adversarii in Reprobatione deductis Exceptionibus, sic dictorum finem facit: Deswegen den Klägl. zu erkennen bittet: Daß Bekl. dasjenige/ so ihn zu beweisen auferleget/ und er sich angemasset wie recht nicht erwiesen/ deßwegen er Klägl. die libellirte Post nebst den Interesse morae zu bezahlen/ auch die auf diesen



Process

Procesſ gewendete Unkoſten zu erſtatten / wie nicht weniger die Advocaten-Gebühren / nach vorhergegangener Liquidation und erfolgten Moderation zu entrichten ſchuldig / ꝛc. In hactenus dictis ſuppoſuimus Advocatum Actoris Perſonam ſuſtinere, eadem autem facillime ad Advocatum, Rei vices gerentem, mutatis mutandis, applicari poterunt.

## §. XXX.

Leuteratione opus eſſe cenſemus, quoties Judex Adverſarium in Expenſas quidem totius Proceſſus condemnavit, expreſſam autem honorarii mentionem facere omiſit. Metuendum enim Advocato, ſi viribus Rei judicatae ſententiam firmari patiatur, Adverſarium novam litem excitare poſſe, an ſub nuda Expenſarum mentione honorarium etiam intelligi debeat, & quia Judicata ſtrictiſſimae ſint interpretationis, Salarium autem in ſententia non claris verbis nominatum, Actori hoc nomine, plane nihil deberi, adfirmabit. Obſervavimus equidem in Actis ſupra nominatis, quod Doctori Juris, qui in termino Liquidationis, Salarii caput inter Expenſas retulerat, illud ipſi adjudicatum fuerit, licet in antecedente ſententia ejusdem nulla mentio facta; quo tamen incommoda, quantum fieri poteſt, evitentur, litesque amputentur, conſultius erit ſuſpendere ſententiam â viribus Rei Judicatae per Interpoſitam Leuterationem atque in hac â Judice efflagitare, ut declaratoria Sententia honorarii ſolutionem conceptis verbis adjiciat. Formula Leuterationis talis, exiguae difficultatis opus erit. Obſervatis enim omnibus illis, quae alias hoc in paſſu obſervari debent, & praemiſſa utilium Acceptatione, concluditur: Daß es zwar bey den jüngſthin publicirten Urthel billig verbleibet / iedoch mit dieſer Erklärung / daß Bekl. Klägl. nebſt denen andern auf dieſen Procesſ gewendeten Unkoſten / auch die verdienten Advocaten-Gebühren / wenn ſolche zuvor liquidiret und richterlich moderiret worden / zu bezahlen ſchuldig. ꝛc.

§. XXXI.

§. XXXI.

Multum inter Doctores disceptari solet, quâ Actione, quoque modo Advocatus â Cliente Salarium exigere debeat? Et licet haec quaestio â praesenti materia non aliena videatur, mittimus tamen eam, tum quia â multis Doctissimis Viris jam satis discussa. *Mull. ad Struv. Exerc.* 7. *L.* 3. *Tit. I.* §. 11. *Geil. l. c. L. I. O.* 44. *n.* 2. *Menck. l. 6. tit. d. Postul.* tum etiam quia nostra Judicia, scrupulosam Actionum denominationem, nuda facti relatione contenta, non amplius curant. Sollicitos nos magis tenet cura, quâ ratione Advocatus, cui felicitas obtigit, ut Judex Adversarium, post Expensas alias, etiam Salarium aliquod solvere jusserit, suum, quod nunc debetur, consequi possit. Eodem autem plane modo, ut in omni Processu procedendum Advocato erit. Jure Civili, illi, qui sententiam aliquam obtinuit, solennis datur Actio Rei Judicatae *l.* 4. *ff. d. R. I.* cujus fundamentum in quasi Contractu, Litis nempe Contestationis, quaeritur *l.* 3. §. 11. *ff. d. Pecul.* Sed hodie apud nos, in terris Saxonicis Elect. omnis res imploratione, Judicis per Epistolam facta, absolvitur. Quo tandem modo in ipsa Executione actibusque huic confinibus procedatur, nullus ignorat, qui unquam Judicii cancellos intravit, plura ergo de iis dicere, desistimus.

§. XXXII.

Atque haec dixisse sufficiat de Salario Advocati in propria causa vincentis. Non negamus longè plura colligi potuisse, & fortasse debuisse, quae paucas has plagulas in majus Volumen excrescere, facile fecissent, nisi Lectoris benevolentiam dicendorum brevitate, cum rerum exquisitarum elegantia non possemus, conciliare, firmiter nobis proposuissemus. Vero simile etiam visum nobis semper fuit, eos vel dicendorum inopiâ premi, vel taediosa prolixitate delectari, qui, si de speciali aliqua quaestione verba facere promiserunt, omnia, generalissima quoque, undiquaque conquirere. Condonabit praeter haec B. L. si observaverit, nos non adeo sollicitos fuisse nostra, allegatorum

torum plauſtris undique circumfundere atque ſtipare. Scriptorum enim Veterum & Recentiorum ponderoſa Volumina evolvere, indicesqne horum percurrere; corporis magis robur, quam judicii vires requirere certum eſt, ſententiamque in ſe veram, ideo, quia â multis affirmatur, ne latum ungvem quidem veritati propius accedere, quos AEquus amavit nobiscum fatebuntur. Tibi autem Summe DEUS; omnium actionum noſtrarum Moderator atque Arbiter, pro conceſſis viribus immortales dicimus grates, ſupplicesque ad Thronum Majeſtatis Tuae devoluti, Te precamur, ut & impoſterum conatibus noſtris adeſſe nosque quantos, quantos, Tibi commendatos eſſe clementisſime ſinas.

*S. D. G.*